



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Minuetur spiritus deuotionis erga cultum diuinum & sacramenta. tit. 265

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

in fornacem ignis, sedet Daniel in medio leonum, Daniel. 6. sed non læditur. Sic Deus constantes suos in omni hæresi liberauit & adiuuit, vt̄ de Athanasio, Augustino, Gregorio, & multis alijs. Nam promittit Christus, quoniam portæ inferorum non præualebunt, Mat. 16. ideo simus constantes, &c.

MINVETUR SPIRITVS DE-
*uotionis erga cultum diuinum &
 sacramenta.*

TITVLVS CCLXV.

D Rimo, Apostolus 1. Timo. 4. inquit, qđ in nouissimis diebus fiet recessus à fide, & omni deuotione omnium rerum Ecclesiasticarum, illa quasi pro nihilo reputabuntur, & sine omni deuotione tractabuntur, sicuti 1. Mach. 1. legitur, quòd postquam Antiochus spoliauit templum de omnibus quicquid erat auri & argēti, statim incepit leuitas aliquorum, & perijt deuotio & templum, & illius sanctificatio desolata est, id est, solitudo, pauci de post intrabant in illud, Dies festi conuersi sunt in luctum, sabbatha in opprobrium, Honores & cultus templi in nihilum: summa, omnis gloria templi facta est ignominia, &c.

Secundò, si hoc figura fuit Antichristi. Illius tempore minuetur spiritus perfectorum & deuotorum, & omnis deuotio è corde fugiet. Nam spoliatio templi præcedens, occasionem cæterorum præstat, ne curentur. Sic inquit Methodius: sacramenta prophanebuntur, Baptisterium pedibus conculcabitur, id est, ex duplici baptismo, quem hæretici fingent, de adultis & paruulis, peribit deuotio Sacramenti. Et
 quis

quis infidelium cupiet baptismum & fidem nostram in tanta scissura? Subinde, Eucharistia porcis projicitur, id est, illa indigna tractatio sacramenti, quod hic negat verum esse Christi corpus, & signum tantum defendit, alius negat sacrificium esse, quod mirum non est, si negat veritatem & presentiam corporis Christi, contra aperta verba Christi, Matth. 26. Hoc est corpus meum. Hic verat, ne adoreretur panis: Alter negat diuinitatem, & quid illi omnes sunt nisi porci, sic tractantes indignè sacramentum, vnde maxime scandalizantur simplices in fide & deuotione, quibus expediret molam asinariam alligari, &c. Mat. 18. Sic mali sacerdotes pessimè tractabunt tanquam porci sacramentum, id est, sine omni deuotione, solum ex consuetudine. Sic Monachus quidam nigro habitu crucifixum iactat in ignem, id est, ne quis pijs operibus & castigatorijs sequatur crucem Christi, sed in omni voluptate viuat. Sic pœnitentia, satisfactio, ieiunium, oratio, cremantur, & fit iam sicut Apostolus dicit Philippens. 3. Inimicos crucis Christi, quorum deus, venter est: gloria, confusio: finis interitus, &c. Quis non videt iam periculosam quæstionem de fide & operibus, vbi opera bona sic vilipenduntur, quasi essent peccata, & omnis malitia excolatur per solam fidem? Et cætera sacramenta quis honorat? Sed omnia hæc prædicta sunt, Orandus est igitur nunc DEVS, ne fuga nostra fiat sabbatho, id est, sub specie dulcium ventorum & sanctitatis: aut hycem, id est, extincta deuotione, &c.

Tertiò, inquit B. Vincentius, quod vulgus, quod delectatur sic in persecutione cleri tempore schismatis & Antichristi, hoc pro pœna habebit, quod non habebit verum Euangelium atque doctrinam, nec Missas vel sacramenta ad vtilitatem, & licet sibi videantur hæc habere, id est, cœnam, baptismum, orationem, &cætera. hæc tamen sunt sine vtilitate & fructu propter

propter odium & labem schismatis, 1. Corin. 13. Si habuero omnem fidem, &c. Hæc est grauissima pœna, quam pauci agnoscunt, nec ipsimet schismatici, sicut Herodes etiam noluit cognoscere peccatum, quod occidit innocentes pueros propter Christum, Mat. 2. attamen postea sensit pœnã. Sic schismatici propter odium in clerum, perdunt fructũ sacramentorum, & mercantur sibi damnationem æternam. Sic Deus peccatum punit peccato, &c. Videmus iam ablatam omnem deuotionem in omni statu &c.

DE ANGSTA PORTA FEL
delium & Hæreticorum.

TITVLVS CCLXVI.



Christus saluator noster inquit: Contendite intrare per angustam portam: sed quæ est illa angusta & parua porta? Augustinus lib. de tempore Barbarico, ca. 13. Porta hæc angusta, per quam intratur in regnum, vulnus Christi est, quod vnus militum in cruce in latere Christi aperuit, Ioann. 19. Per hanc portam angustam ad regnum æternum introiêrunt, Luc. 23. quorquot de præteritis, præsentib⁹ & futuris in Christum crediderunt: per hanc introiuit Lator, Luc. 23.

Et multi alij, qui Christi sanguinem fuderunt, & postea biberunt, orante Christo patrem: Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Per hanc intrat conuersus paganus, pœnitens Iudæus. Ideo clamat Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Mat. 11.

Secundò, Ex illa porta iterum exit foras omnis hæreticus, omnis malus impœnitens. Nam tales nõ sunt de numero permanentium, de quibus 1. Ioan. 2. dicitur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis essent, mansissent vtiquè nobiscum, &c. 1. Ioann. 3. Qui odit fratrem, non habet in se vitam.

P P p manen.